

tutiones vel Pandectas acceptas initium facere vellet. Atqui iam dudum ex rerum, ni fallor, actu ab Augusto in menses aestivos et hibernos diviso (Suet. Aug. 32. Claud. 23), qui etiam consilia imperatorum (Dione teste 53, 21. 56, 28. 60, 4) et rescribendi opus semestria fecit, et ex Labeonis noto exemplo (L. 2 § 47 D. de or. iur. 1, 2) in usum venerat, ut iuris quoque studium per annuos cursus binis quoque anno pensis distinctos absolveretur. Ut igitur a traditis quam minime deflecteret, cum Institutionum libri integro anno non sufficerent, prudenterissime Gaius instituit exemplo suo, ut opinor, aliis quoque persuasit, ut iis, quae tunc erant studiorum spatia, novus annus quasi praeficeretur, isque partim Institutionibus partim quattuor libris singularibus occuparetur. Sed etsi placeat, quod multis ex causis verisimile est, iam tunc ante edictum praetoris ius civile ex libris Masurii Sabini semestri cursu traditum esse, ita quoque Gaius his incondite scriptis libris suas vicini argumenti Institutiones et libros singulares<sup>1</sup>, dehinc anni opus, subrogando<sup>2</sup>

1) In vulgus notum est in libris ad Sabinum materias de testamentis, de legatis (de rerum acquisitionibus et de contracribus), de dote et de tutelis principem locum obtinuisse. Iam cum ea, quae in scholis leguntur, raro absolvi soleant, etiam has materias solas, quamdiu ex Sabino ius civile traderetur, tractatas esse primum ad existimandum est. Quod si ponimus, nova docendi ratio a Gaio instituta quam minime a vetere deflexit, magisque ei addidit tantum, Institutiones suas quasi προοίμιον Sabino (nunc IIII libris singularibus) praefigens, quam detraxit. 2) Vestigium eius rei in eo cognoscere mihi videor, quod postea, Iustiniano in const. Omnen reip. § 1 teste, Gai Institutiones et quattuor libri singulares 'connumerabantur', id est pro uno libro s. volumine habebantur (sicuti Sabini opus fuerat) scilicet ex sex illis, quos tum ex universa iurisprudentia, 'quae in librorum duo milia extendebatur', a voce magistra studiosi accipiebant (ceteri enim quinque libri erant prima, secunda, tertia pars edicti, responsa Papiniani et Paulli). Manifesto errore nunc plerique sex libros illos intelligunt duos (ex quattuor) Gaii Institutionum et quattuor libros singulares.